





DE  
CAVTIONE IVRE NATVRAE  
N V L L A

31/ 28

1785 5

P R A E S I D E  
CAROLO FERDINANDO  
SCHMID

PHIL. ET I. V. D. MORAL. ET CIVIL. P. P. O

D. XXII. MART. MDCCCLXXXV


H. L. Q. CC

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

FRIDERICVS NICOLAVS ZERENER

HALA-SAXO



VITEBERGAE

TYFIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII







28.  
VIRIS  
PERILLVSTRI BV S G E N E R O S I S S I M I S  
D E Q V E P A T R I A E T L I T T E R I S  
M E R I T I S S I M I S

FRIDERICO GOTTLOB  
á BERLEPSCH

DYNASTAE IN HENNINGSLEBEN  
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE IN SVPREMO  
SENATV ECCLESIASTICO PRAESIDI GRAVISSIMO

PETRO L. Bar. ab HOHENTHAL  
DYNASTAE IN DOEBERNITZ, FALCKENBERG,  
SCHMOERCKENDORF, COSSA, cet. SERENISSIMI PRINCIPIS ELE-  
CTORIS SAXONIAE IN SVPREMO SENATV ECCLESIASTICO  
PRAESIDI VICARIO, COLLEGII REGVNDIS REBVS OECONOMIAE  
ET COMMERCIO RV M DIRECTORI VICARIO ET ORDINIS  
IMPERIALIS RVSSICI ALEXANDRI NEWSKY EQVITI

E T

PETRO CAROL. GUILIELMO  
Lib. Bar. ab HOHENTHAL

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE IN  
REBVS AD REDITVVM PVBLICORVM RATIONES PER-  
TINENTIBVS A CONSILIIIS INTIMIS

DOMINIS SVIS INDVLGENTISSIMIS  
PATRONIS SVMMO

PIETATIS CVLTV DEVENERANDIS



HOC

PRIMUM SPECIMEN

CEV

PIETATIS SVMMAE ANIMIQVE DEVOTISSIMI


M O N V M E N T V M

QVALECVNQVE

D. D. D

FRIDERICVS NICOLAVS ZERENER





§. I.

**A**lia est cautio late sic dicta, alia cautio strictiori sensu sumta. Sicuti enim per cautionem, quae genus cautionum constituit, quodlibet maioris securitatis eius, quod alter iure stricto nobis debet \*), intelligimus, ita pacta, quibus securitas praestatur, speciem cautionis adpellamus. Quam quidem distinctionem necesse est, ut argumenti nostri pertractationi praemittamus, ne quis, nos de qualibet cautione acturos esse, sibi persuadeat. Quum autem pacta securitatis causa celebrari soleant eo potissimum consilio, ut fides ac securitas quam maxima aliis conventionibus sive pactis, quibus adiiuntur, concilietur \*\*), intellectu facile est, cautionem, quam Iure Naturali nullam esse commonstrabimus, praestationem

A 3 tionem

\*) *Io. Aug. Henr. Vlrich* Init. Phil. Iusti §. 283. *Gosfr. Achenwall* Iur. N. P. I. §. 224. *Henr. Gosfr. Scheidemanrel* Legg. Nat. system. pertz. §. 354.

\*\*\*) *Ioh. Frieder. Hombergk zu Vach* Hypomnem. Iur. Gent. Tit. XIV. §. 3.







tionem esse securitatis per pacta creditori exhibendam, ideoque huiusmodi cautionem semper obligationem supponere ex alio quodam pacto proficiscentem.

§. 2.

Pacta igitur, quibus creditori cavetur iuris sui amissionem metuenti, creditori ius aliquod tribuunt novum, propterea quod nova obligatione debitorem adstringunt faciendi dandive, quidquid facere et dare tenetur. Obligatio autem, quae pactis, cautionis gratia initis, exoritur, nova dici non potest, quod ad materiam pertinet, utpote quae nova tantum adparet intuitu formae \*), quum eadem, quae alio quodam pacto antea contracta est, obligatio paullo fortior reddatur cautione adiecta, sicuti etiam ius antecedenti pacto quaesitum maius sive fortius cautione subsequente evadat. Quisquis enim cautione praestita id, quod ex pacto debet, non solvit, non coercetur a creditore secundum ius, quod ei leges concesserunt in debitorem solutionem renuentem, sed eo modo, quem lex cautionis adhibere permittit, ad solvendum adigitur. Non est itaque sine ratione, quando ii, qui cautionem, quae pactis adiici solet, Iuris Naturae esse statuunt, subsidiarium negotium eam dicunt \*\*), eiusve effectum, ius nempe cautione quaesitum, subsidiarium ius vocant \*\*\*), quod, solutione facta, plane expirat; solutione omissa, creditori optimo praesidio suum recuperandi non esse non potest. Ita etiam facile ex his colligitur, cautionem, quae pacto exhibetur, a pacto conditione suspensa fere nihil differre; ubi nullum

\*) *Ioh. Aug. Henr. Vlrich* Init. Phil. Iusti §. 292.

\*\*) *Henr. Gottfr. Scheidemann* Legg. Nat. System. petr. §. 354.

\*\*\*) *Ioh. Aug. Henr. Vlrich* Init. Phil. Iusti §. 284.





nullum ius est iusto pacto quaesitum, nulla opus esse cautione; nullum denique pactum vitio laborans sive illegitimum, validum cautione iustumque fieri aut corroborari, iuxta regulam Iuris omnibus notam, vi cuius principali causa non consistente, ea, quae sequuntur, locum non habent \*).

§. 3.

Si causam, propter quam quaelibet cautio vel utilis vel necessaria dici possit, inquiramus, eam in suspitione positam esse haud dubitabimus. Suspicio est metus laesionis futurae vel damni ab aliis nobis imminentiis \*\*). Laesionem, quam alios meditari nobisque intentare cognoscimus, neque expectare neque perferre tenemur, quippe qui iure potius gaudemus, quia hominum quisque, iuxta Iuris Naturalis prohibitionem, omni laesione abstinere debet, qualemcunque laesionem ab aliis metuendam removendi. Quibus futurae iniuriae optime evitantur, subsidiis haud immerito adnumeratur cautio, quam qui sibi postulat dari, is suspitionis suae declaratione non solum iniuriosum hominem absterret a proposito ipsum decipiendi, sed etiam nova remedia sibi comparat, quibus ab istius dolis insidiisque efficacius sese defendere possit. Quoniam vero laesio, quam nobis parari non sine ratione suspicientes a nobis propellere studemus, iustam cautioni causam atque originem praebet, non est, quod vberius commonstremus, quid cautione praestita efficiatur in nostram utilitatem. Efficitur enim cautio, ut securiores nobis videamur ab alterius iniuriarum suspecti laesione.

§. 4.

\*) D. de Reg. Iuris l. 129. §. 1.

\*\*) Ill. Ioh. Ludov. Schmid Instit. Iur. Civil. §. 378.







## §. 4.

Quum itaque ius habeamus cautionem exigendi ab eo, qui nos laedere intendit, ideoque cautio securitatis nostrae gratia praestita legibus naturalibus aequae ac civilibus minime repugnet, cautio recte adhibita omnino est iusta. Cautio vero iusta eo ipso etiam est licita, utpote quae Iuri tam praecipienti, quam permittenti omni ex parte probatur. Ast tamen, quamvis cautio, latius sic dicta, a legibus naturalibus non solum permittatur, sed etiam iubeatur, quaeri potest, num pacta adcessoria, quibus securitas ab alterius perfidia nobis exoritur, hominibus, quasi in statu naturali ad Iuris Naturae normam viverent, consideratis necessaria sint itidemque permessa, siquidem omnia pacta nullis pactis corroborata ab omnibus hominibus quam sanctissime servari debent ex Iuris Naturalis praeceptis. Argumentari quidem possumus pro huiusmodi cautionis iustitia huncce in modum: valere eam ut speciem, sicuti valet genus cautionis, secundum Iuris Naturalis decreta, quae hanc aequae ac omnem cautionem de meliori parte non magis nobis commendare, quam tamquam nos nostraque iura conservandi subsidium praecipere ideoque etiam permittere videntur, si verum est, pacta cautione quam firmissima reddi, neque ullum hominem cautionis praestatione turbari sive laedi; quidquid autem sine alterius turbatione ac laesione peragitur, nobisque expedit, Ius Naturae id iubere potius, quam prohibere. Contra hanc argumentationem videamus, quid proferri possit in contrariam partem.

## §. 5.

Vsu quotidie evenit, ut cives in paciscendo cautione adiecta statim sibi prospiciant, quibus hoc licet propter legum civilium favorem. Minime autem idem facere possunt homines,



mines, qui solis legibus naturalibus utuntur, propterea quod prima Iuris Naturae principia vetant, vllum hominem malum praesumi vel iniustum, qui se non iniustum egerit \*); quae porro docent, omnes circa boni iustive viri existimationem sibi esse aequales propter eandem nativitatem naturamque humanam \*\*); quae denique prohibent, quo minus iis hominibus, qui corpore vel ingenio plus caeteris pollent, ideo plura etiam maiora tribuantur iura \*\*\*). Huc praeterea adcedit, ut, quemadmodum Ius Naturale, quod absolutum vocant, ad homines pertinet sibi invicem nec amicos nec inimicos, nullo alia re, praeter originem humanitatemque communem, sibi coniunctos aut inter se comparandos \*\*\*\*), ita etiam Ius Naturale hypotheticum dictum, quod de hominum factis agit iustis vel iniustis, licitis vel illicitis, primas regulas quidem exhibeat, quibus pacta regunda sint iniuriaeque coercendae, perfidiae tamen praesumptione innocentes damnari laesionemque a quolibet homine sine vlla ratione metui, minime iubeat. Non est denique, quod inter homines in statu naturali vitam degentes tot tamque innumera pacta in usu esse fingamus, quot inter cives obtinent, inter quos rerum pretium certum est commerciique studium, cui quam plurima pacta, singulari ratione conformata, ut adsint oportet †). Ita cives pactis, quibus creditori in paciscendo statim cavetur, supersedere non possunt, quo facilius inveniant, qui suam fidem sequatur, quum fraus summaque perfidia inter cives, luxuria mores corrumpunt.

\*) *Gottfr. Achenwall* I. Nat. P. I. §. 98.

\*\*) *Idem* loc. cit. §. 100.

\*\*\*) *Lud. Iul. Frid. Höpfner* Delin. I. Nat. §. 40.

\*\*\*\*) *Ioh. Georg. Feder* Iur. Nat. §. 1. Philof. Pract. 1782. edit.

†) *Ill. Georg. Steph. Wiesand*, de Iur. N. et Gent. in not. ad §. 186.





corruptente, haud exsulet, saepiusque cives omnibus bonis, vel sua culpa, vel aliorum malignitate, priventur. Homines ex adverso in nullam societatem coacti non opus habent, ut versuram faciant, paucis contenti summisque vitae necessariis satis superque instructi, quibus praeterea necessitate coactis, violenta manu victum sibi quaerere licet \*); iidem igitur non opus habent, ut cautionis praestatione adiciant creditores, qui suis copiis ipsos adiuvent.

## §. 6.

Nihilo tamen minus fieri posset, ut aliquis cum fraudulento homine quodam, qui vel male audit, vel alio tempore eandem iamiam laeserit, vel variis signis dolum malum proderet, in statu naturali pactum inire vellet. Nonne autem hic fatius esse existimaret, cum isto homine plane non contrahere, quam vereri, ne iste fidem datam falleret? ab isto potius nullam cautionem exigere, quam metuere, ne iste ipsam cautionem irritam redderet? Et si quis, postea quum pactum celebratum est, perfidiae suspicionem creditori excitat, num cautionis pactum efficiet, ut is, cui pactum principale violare nullum piaculum videretur, pactum adcessorium sanctius servet? Nihil itaque iuvat, cautionem ab eo exigere, qui vel nos laedere intendit, vel nos re vera iam laesit.

## §. 7.

Quamvis autem leges naturales, a viro probo iustove cautionem postulare, haud permittant, dubium tamen videri potest, num eadem leges cautionem a viro iusto nobis ultro oblatam nos accipere vetent? Quis est, qui hoc statuatur aliisque

\*) *Lud. Iul. Frid. Höpfner Delin. Iur. Nat. §. 30. n. 3.*





que idem persuadere velit? Ast tamen cautio, vltro oblata atque accepta, nullius est momenti in statu naturali, vbi pactis in creditoris securitatem adiectis de laesione omittenda haud magis cavetur, quam pacto nullis pactis corroborato. Cautio enim, quae fit per pactum, a simplici pacto nihil differt, ideoque ceu pactum plus securitatis firmitatisque non continet, quam pactum, cui adcedit; praecipue si a viro fidei probitatisve amantissimo praestetur, qui pactum minus ideo servat, quia de pacto non violando cavet creditori, quam quia pacto principali satisfacere cupit. Quid autem bonum virum impellere potest in statu naturali, vt opinetur, alios de se male suspicari? quum satis intelligat, alios oportere ipsi haud diffidere, aequae ac semet ipsum aliis iustitiam colentibus? Nonne etiam is, qui in cautionis praestationem, a probro viro sibi vltro oblatam, consentit, eo ipso declarat se omnino, sicuti hic opinatus esset, de hoc viro dubitare, an, quidquid promittere paratus sit, postea quam exactissime solveret? Nonne igitur hac declaratione virum iustum bona exislimatione fraudamus, quam mentis suae bonitate salvam integerrimamque servare, immo etiam augere adnifus est? Et si responderetur, volenti nunquam iniuriam fieri, ea tamen, quae antea dicta sunt, satis docent, cautionem a probro viro sponte oblatam acceptamque a creditore superfluum esse propter iustitiae fideique studium, quo viri iusti suis creditoribus de non laedendo optime cavent.

## §. 8.

Sit, vt plurimis etiam in statu naturali, nisi maximo cum periculo, credatur, probi vero iustique viri nulli prope modum inveniantur. Quid inde? Cautione profecto opus est, sive pactis, quibus pacta firmentur, ita, vt perfidiosissimis





mis nequissimisque nullus locus relinquatur nos circumvenien-  
 di pactaque eludendi. Quorum quidem improbitas impune  
 nobis fraudem ne faciat, refugiendum est nobis ad cautionem;  
 et quidem ad eam, nisi fallor, quae cuilibet pacto iam inest,  
 minime vero ad eam, quae peculiari pacto pacto adiungenda  
 esset. Quodlibet enim pactum legitimo modo contractum,  
 efficacissima cautione iamiam per se vallatum, nullo firmamento  
 indiget contra impiorum hominum machinas; ex omnium  
 fere Iuris Naturae scriptorum opinione. Qui paciscitur, is  
 libertati naturali renunciando consentit in aliquam vexationem,  
 hoc est, in exactionem eius, quod promittitur; insimulque  
 consensisse putatur in coactionem, debiti solutione non facta.  
 Ita itaque, qui creditorem debitum exigentem repellit, iidem-  
 que remedia violenta adhibenti resistit, violat ius creditori  
 quaesitum, ansamque praebet causamque iustificationem belli \*).  
 Et ne debitoris quidem consensus in rigorosam debiti exactionem  
 requiritur, ut debitam praestationem nimis differens aut  
 respuens recte cogatur, posteaquam, promisso ab altero ac-  
 ceptato, in alterum id, quod promittentis antea erat proprium,  
 transmissum est. Quidquid autem ab aliis acceptando nobis  
 adquirimus, eodem iure habemus, quo omnes res posside-  
 mus nostro in dominio constitutas, iure videlicet impediendi,  
 quo minus nobis invitis rerum nostrarum aliquid auferatur \*\*).  
 Qui nobis id praestare recusat, quod promittendo in nos trans-  
 tulit, is nobis invitis rem nostram praeripere conatur, quam  
 contra eum, tamquam laedentem, nobis vi armisque per-  
 sequi licet. Ius ergo, quod leges naturales laeso concesserunt  
 in laedentem, nobis competit in promissorem promisso suo

NON

\*) *Ephr. Gerhard Delin. Iur. Nat. I. II. Cap. X. §. 70. et seqq.*

\*\*\*) *Lud. Iul. Frid. Höpfner Del. Iur. Nat. §. 64.*



non stantem. Quod quidem ius, quoniam laesi arbitrio relictum est quomodo exercere velit, cautionis pacto plus valere mihi videtur apud eum, qui alias pacta servare non curat.

## §. 9.

Potest enim creditor, qui iure cogendi vitur adversus debitorem dolosum, provt pacto vel gratuito vel oneroso non satisfecerit, mox etiam ex sua parte a pacto recedere, hoc est, non praestare, quod a sua parte antea, quum res adhuc integra esset, praestare tenebatur \*); mox aliud pactum cum eodem initum vel plane non servare, vel tamdiu non implere, donec ille debitum solvat, vel alio quocunque modo damnum perfidia sua illatum reparet \*\*). Non solum autem perfidiam simili perfidia, fraudem simili fraude coercere in statu naturali fas est, sed etiam qualescunque violentiae actus suscipere, qui ad iuris vel rei nostrae conservationem faciunt \*\*\*); neque tamdiu expectare, magistratum praesidio deficiente, donec laedamur, dummodo verum certumque sit nos laesum iri \*\*\*\*).

## §. 10.

Facile exinde colligi potest, homines in statu naturali viventes iure cogendi ab omnibus iniuriis satis defendi, eoque adversus dolum, perfidiam, atque fraudem melius muniri, quam cautionis pacto. Superest itaque, ut cautionem, quae nudo promissa, eamque, quae iureiurando, fideiussore, pi-

B 3

gnoreque

\*) *Ephr. Gerhard Delin. Iur. Nat. L. II. Cap. X. §. 82.*\*\*) *Lud. Jul. Fr. Höpfner Del. Iur. Nat. §. 112.*\*\*\*) *Gozfr. Achemwall Iur. Nat. P. I. §. 261.*\*\*\*\*) *Nicol. Hieron. Gundling. Iur. Nat. Cap. IX. §. 2.*





gnoreque praestari solet, extra civitatem vel nihil maioris securitatis continere, vel maximis difficultatibus obnoxiam esse, brevius commonstremus. Per cautionem nude promissoriam hoc loco intelligimus pactum, sive promissum, quo id, quod semel promissum est, iterum promittitur. Quoniam vero, ut supra evicimus, pacta securitatis causa adiecta, tutiores nos ab iniuria perfidi hominis minime reddunt, invtile, quam quod invtilissimum, negotium esse videtur, promissi reiteratione velle efficere, ut ex alterius insidiis nullum damnum sentiamus. Duplici quidem modo nos violamur ab eo, qui securitatis remedium vna cum pacto ad nihilum redigere conatur \*), ius tamen improbos iniuriososque impetendi nobis competit in eum, qui semel nos laesit, aequae ac in iterum iterumque laedentem. Ast, inquis, quemadmodum apud Romanos pactum per stipulationem adiectam augeri poterat obligatione actioneque civili \*\*), propterea quod stipulationes natura sua cautionales esse existimabantur, *Vlpiano* auctore †); ita etiam ab iis, quibus ignotum est stipulationis, Romanis vltimatissimae, negotium, simplicissima ratione omnino adici aliquid potest promissione subsequente anteriori, in securitatem prioris promissi. Nonne igitur pacto plus adiciendo cautio exoritur promissoria, unde pactum principale novum robur accipiat? Accipere videtur. Si autem ad improbi hominis, plus promittendo caventis, perfidiam respiciamus, statim adparet, huiusmodi cautione praestita quo plura promiserit, eo maius isti adesse fraudis incitamentum.

## §. II.

\*) *Ludov. Jul. Frid. Höpfner* Delin. Tur. Nat. §. 104.

\*\*\*) *Cod. de Rer. perm. l. 3. 4.*

†) *Dig. de stipulat. praetor. l. I. §. 4.*





§. II.

Idem fere dicendum est de pacto iureiurando firmato. Ratio, cur iusiurandum novam vim atque potestatem pactis saepius addere debeat, hominum scilicet malitia, inter homines simplicitatem fidemque naturalem colentes locum non habet, quia horum pacta tantum roboris iam continent, quantum roboris inesse creditur pactis iureiurando vallatis \*). Iusiurandum, hoc est, seria Dei tamquam fidei testis perfidiaeque ultoris invocatio, qua quis creditori persuadere velit, se magis fidem datam liberaturum esse, sequitur obligationis naturam \*\*), novamque, ad cuiuslibet aliae cautionis exemplum, minime gignit obligationem, quamvis iustam, cui addedit, obligationem fortiolem reddat. Obligatio autem, cui iureiurando, novum fidei vinculum est additum, huius intuitu pertinet ad forum conscientiae, ut vocant, foro humano, fidei externo plane exempta †), siquidem debitor perfidus, propter officiorum erga homines violationem, coercetur ab hominibus; periurus, propter officiorum erga Deum neglectum, a Deo. Iurisiurandi itaque obligatio ex Iusti, sive Iuris Naturalis Cogentis principiis sicuti non potest recte derivari, ita iusiurandum ipsum pacti corroborandi causa praeflitum, homines,

\*) Nicol. Hieron. Gundling Iur. Nat. et Gent. Cap. XVIII. §. 1. Moses Mendelides in libello Ierusalem inscripto p. 72. valde dubitat de maiori iurisiurandi religione: Eydschwüre, inquit, sind eigentlich weder für den gewissenhaften Mann, noch für den entschlossenen Taugenichts. Iener muß ohnehin wissen, muß ohne Eyd und Fluch von der Wahrheit innigst durchdrungen seyn, daß Gott Zeuge sey, nicht nur aller Worte und Ausagen, sondern auch aller Gedanken und geheimsten Regungen des Menschen, und daß er die Verherrschung seines allerheiligsten Willens nicht ungehandelt lasse; und der entschlossene gewissenlose Büßwichter? Der fürchtet keine Götter, der keines Menschen schonet.

\*\*) Grotfr. Achemwall Iur. Nat. P. I. §. 234.

†) Christ. Henr. Breuning Del. Iust. P. spec. S. I. Cap. IX. §. 5.







mines, sanctissimum Dei nomen haud magis violandum esse quam pactum, intelligentes, a simplici promisso nihil prope-modum differre, haud dubitabunt. Quae quum ita sint, sequitur, vt cautio iuratoria perinde ac nude promissoria in statu naturalis libertatis prohibitaeque sine vlllo detrimento plane abesse ac ignorari ab hominibus possit \*). Cautionis iuratoriae vsum, fortasse inquis, positum esse in eo, vt imbecilliores, quibus aut vires deficiunt aut remedia ipsa coactiva impiorum hominum fraudem evitandi graviterque puniendi, poenarum divinarum, quas contra se peierantes excitant, metu tutiores sibi videantur ab istorum laesione: ast tamen hi ipsi, nisi perfidiam perfidia cohibere queant, quod et imbecillimus potest, auxilium a validioribus adpetendi facultatem habent copiasque rerum, quibus strenue fortiterque contra iniustos sese defendant.

## §. 12.

Quod ad cautionem fideiussoriam adinet, peculiari pacto ea innititur, quo tertius id, quod debitor non solverit, creditori solvere promittit. Fideiussor, qui alieno pacto sese adiungit, necesse est, vt fide debitori principali praestet, ne fideiussionis negotium cassum irritumque sit. Quum autem vllum hominem, originariam propter iurium aequalitatem, nobis haud liceat existimare, maioris esse fidei, quam alios, nisi facta essent, quibus homines, ratione fidei, sibi aequales esse desinunt; sequitur, vt debitori soli vel fideiussorem vltro offerenti, vel ambiguae fidei nota laboranti fideiussor adiungi queat. Paucissimos tamen inter homines nullo nexu civili confociatos invenies, qui, non quod ad fidem, sed quod

ad

\*) Nicol. Hieron. Gundling Prael. I. Nat. Cep. XVII. §. 1.





ad peculium pertinet, satis idonei fideiussores esse videantur. Nullus deinde opulentissimorum hominum cogi potest ad intercedendum pro altero, quum periculosum fideiussoris munus nemo, praeter volentem, suscipere teneatur Iure Naturali perfecto. Quid praeterea commovebit homines, vt fideiubendo alienam obligationem in se derivent, ac maximo cuncto periculo suo aliorum vtilitati inserviant? Longe aliter res sese habet, si inter gentes pacta guarandis firmentur. Hi enim, se effecturos esse, vt pacta seruentur laesioque reparetur, promittentes ipsam obligationem alienam minime in se recipiunt, fideiussoribusque proprie adnumerari non possunt.

§. 13.

Pervenimus nunc ad cautionem pignoratitiam, sive pignoris pactum, quo res creditori in maiorem debiti securitatem traditur, ea conditione, vt ex hac, debitore non solvente, creditori satisfiat. Et ipsius pignoris vsum hominum malignitati originem debere, non est, quod dubitemus\*). Inter cives, quibus cautionis datio iniungi potest sine bonae existimationis laesione, ac plures inveniuntur, quorum doli, pignoris traditione sibi consulere, creditoribus suadent, et pignoris cautio saepius recte adhibere solet. Inter homines autem nulli imperio civili subiectos sola fraudis meditatio signis externis prodita iustam causam continet debitorem adigendi, vt pignoris loco aliquid detur creditori. Difficillimum tamen videtur, vbi pretium eminens ignoratur, vulgare autem haud commode omnibus adplicari potest negotiis, pignus constituere, quod creditori satis idoneum adpareat, ipsum vero debitorem satis impellat, ne eodem privetur, vt sibi caveat.

\*) Anron Zeplichal Iurispr. Nat. §. 200. C







veat. Nonne autem brevior magisque simplicitati naturali congrua est ipsa rei datio pro re data, sive permutatio, quae pactionum onerosarum antiquissima, certo pretio invento, in tot pacta contractusve onerosos abiit? Quid est opus denique pignore, ubi creditor ius habet bona debitoris solutionem denegantis invadendi ex iisdemque sibi capiendi, quantum sat est, ut indemnitatem exinde consequatur? Ob eandem causam neque hypothecae, sive pignori, quod remanet in debitoris potestate, ullum locum esse in statu naturali mihi persuasum habeo. Debitore enim promissis non stante, vi et armis eius res adpetuntur eique, citra omnem adsignationem hypothecae pacto factam, optimo iure eripiuntur <sup>\*)</sup>, ita, ut perfidia debitoris tam puniatur, quam damnum creditori illatum omni ex parte refarciatur.


<sup>\*)</sup> *Sam. Pufendorf* Iur. Nat. et Gent. L. V. Cap. X. §. 16.













Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle

004 335 937




3

f  
Sl.









Farbkarte #13

B.I.G.

31/28

DE  
CAVTIONE IVRE NATVRAE  
N V L L A

1785 5

P R A E S I D E  
CAROLO FERDINANDO  
SCHMID

PHIL. ET I. V. D. MORAL. ET CIVIL. P. P. O

D. XXII. MART. MDCCCLXXXV.


H. L. Q. CC

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

FRIDERICVS NICOLAVS ZERENER

HALA-SAXO



VITEBERGAE

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII

